

SECTIO III.

DE

FORMVLA BOLI.

§. 332.

Bolus est medicamentum internum molle, Definitio boli.
quod electuario ratione mollitiei cedit, et
buccellae quantitate definitur §. 291.

§. 333.

Eodem, quo antea de pulvere demonstratum est §. 298. modo, facile euinci potest, bolum esse vel simplicem vel compositum, vel magistralem vel officinalem, vel relatiuum vel absolutum, eiusdemque formulam esse vel simplicem vel compositam, vel magistralem vel officinalem, vel relatiuam vel absolutam.

Bolus est vel simplex vel compositus, magistralis vel officinalis, relatiuus vel absolutus.

§. 334.

Cum bolus sit medicamentum internum molle, quod ratione mollitiei electuario cedit §. 332, omne id eius ingredi potest materiam, quod in eiusdem formam redigi potest. Iam id, quod in boli formam redigi potest, vel per se, vel commixtione aliorum huius formae est capax. Qua de re omne id boli materiam ingredi potest, quod vel ex se, vel commixtione aliorum in boli formam redigi potest. Nunc ea, quae materiem medicamento constituunt, dicuntur ingredientia eiusdem §. 8. Ergo omne id ingredientis vice

Omne id ingredientis vice in bolo fungi potest, quod vel per se vel commixtione aliorum in boli formam redigi potest.

M 3

in

in bolo fungi potest, quod vel per se, vel commixtione cum aliis, in boli formam redigi potest.

§. 335.

Recen-
sentur,
quae bo-
lum in-
gredi
possunt.

Quae dicta §. 334. cum ita sint, ingredien-
tium vice in bolo fungi possunt 1) sicca fria-
bilia omnia, minore dosi efficacia, pulueri con-
stituendo idonea §. 301. 2) mollia magis mi-
nusque spissa, vt conseruae, confectiones mol-
les, balsama siue natia, siue artificilia densio-
ra, vnguenta potabilia, syrupi, etc. 3) liqui-
da concentratiora, vti balsama natia vel arti-
ficialia liquida, olea, spiritus, tincturae, es-
sentiae, elixiria, etc. Haec etenim vel per
se, vel commixtione aliorum recensitorum in
boli formam redigi possunt.

§. 336.

Ingredi-
ens boli
simplicis
ita com-
paratum
sit necef-
se est, vt
per se in
boli for-
mam re-
digi pos-
sit.

Sicut omne medicamentum simplex, ita
et bolus simplex ex vno constat ingrediente
§. 34. Iam omne id ingredientis vice in bolo
fungi potest, quod vel ex se, vel aliorum mi-
scela in boli formam redigi potest §. 334.
Qua de re ingrediens boli simplicis, cum
vnum tantum sit, ita comparatum sit necesse
est, vt per se sine aliorum miscela in boli
formam redigi possit. Ponas enim contra-
rium, hoc est, ingrediens, ex quo bolus sim-
plex est formandus, non posse in eius formam
redigi, tunc aliis opus esset, quorum miscela
debitam boli formam constitueret, adeoque
non

non bolus simplex, sed compositus oriretur; id quod repugnat hypothefi.

§. 337.

Si qua boli compositi ingredientia in boli formam redigenda considerantur, ea ita comparata sunt, vt vel per se, sine aliorum miscela, in boli formam redigi possint, vel non. Si posterius, hoc est, si qua boli compositi ingredientia per se, sine aliorum miscela, in boli formam redigi nequeunt, alio siue aliis opus est, quae commixta illorum formam desideratam constituunt. Si prius vero locum habet, tertio siue aliis non opus est, ad ista ingredientia boli compositi in boli formam redigenda.

Quaedam boli ingredientia vel in formam boli redigi possunt vel non.

§. 338.

Haec ingredientia boli, quae per se, sine aliorum miscela, in formam boli redigi nequeunt, dicuntur *excipienda*, ista vero, quae his ingredientibus in boli formam redigendis inseruiunt, audiunt *excipientia*.

Definitio excipientium et excipientium in bolo.

§. 339.

Sic sicca, quorum mentionem feci §. 335. No. 1. eo respectu, quo per se, sine aliorum miscela, in boli formam redigi nequeunt, sunt excipienda in bolo, mollia vero recensita §. 335. No. 2. eatenus excipientia, quatenus ficcis in boli formam redigendis inseruiunt.

Antecedens definitio excipientium exemplis illustratur.

§. 340.

Si qua boli ingredientia, ex quibus bolus est formandus, in boli formam per se sine aliorum miscela redigi queunt, tertio siue aliis non opus est ad ista ingredientia in boli formam redigenda §. 337. Iam ista ingredientia boli, quae reliquis ingredientibus in formam boli redigendis inferuiunt, audiunt excipientia §. 338. Ergo, si qua ingredientia, ex quibus bolus est formandus, per se sine aliorum miscela in boli formam redigi queunt, excipiente vel excipientibus in bolo non opus est.

§. 341.

Excipientibus in bolo opus est, si qua eius ingredientia per se sine aliorum miscela in boli formam redigi nequeunt, alio vel aliis in bolo opus est, quae commixta formam desideratam constituunt §. 337. Iam haec dicuntur excipientia §. 338. Ergo in bolo, si qua eius ingredientia per se sine aliorum miscela in boli formam redigi nequeunt, excipiente vel excipientibus opus est.

§. 342

Si qua adfunt excipienda in bolo, excipientibus. In bolo, si qua eius ingredientia per se sine aliorum miscela in eius formam redigi nequeunt, excipiente vel excipientibus opus est §. 341. Iam ista boli ingredientia, quae per se sine aliorum miscela in boli formam redigi nequeunt, sunt excipienda §. 338. Ergo si qua

qua in bolo excipienda sunt, excipiente vel excipientibus in bolo opus est.

§. 343.

Eodem, quo §. 342. vsus sum, modo, facile demonstrari potest, quod, si quod in bolo excipiens, vel si qua excipientia in bolo composito adsint, excipiendum vel excipienda in bolo adesse debeant.

§. 344.

Vbi excipienda in bolo composito adsunt, excipientia quoque adesse debent §. 342. Qua de re excipientia boli compositi tam ratione quantitatis, quam qualitatis variare debent, prout excipienda tam ratione quantitatis, quam qualitatis variant, atque sic illorum quantitas et qualitas ex horum quantitate et qualitate sunt determinanda, vt hac ratione debita boli forma exsurgat.

§. 345.

Quod ad qualitatem excipientium attinet, illa determinatur per excipiendorum qualitatem §. 344. Scilicet talis excipientium qualitas esse debet, vt haec cum excipiendis commixta torum constituant, cuius partes determinato gradu cohaerent. Quare cum gradus cohaesionis partium in bolo eidem in melle sit aequalis §. 332., partes excipientium cum excipiendis ficcis miscendo-

M 5

Si excipientia in bolo adsunt, excipienda quoque adesse debent. Excipientium qualitas et quantitas excipiendorum quantitate et qualitate sunt determinanda.

Si sicca sunt excipienda, liquida diuerso fluiditatis gradu praedira excipientia esse possunt in bolo,

dorum leuiori gradu, quam partes boli, cohaereant necesse est, adeoque qualitas excipientium in genere hoc casu in eo consistit, vt eorum consistentia boli consistentia minor sit. Cum vero haec excipientia variis modis, ratione consistentiae, a bolo differre queant, liquida diuerso fluiditatis gradu praedita, positae excipiendis siccis, excipientium vice in bolo fungi possunt.

§. 346.

De determinatione quantitatis excipientium.

Quod ad quantitatem excipientium attinet, illa determinatur per quantitatem excipendorum § 344. Si enim v. g. siccorum certa quantitas in bolo excipienda est, tanta sumi debet excipientium quantitas, vt haec sicca debitam boli consistentiam acquirant. Deinde determinantur excipientia ratione quantitatis per excipendorum, et per suam ipsorum qualitatem.

§. 347.

Quenam quantitas excipientium in bolo esse soleat.

Si sicca in bolo sunt excipienda, haec pro dosi ad drachmam dimidiam, scrupulos duos, et ad summum ad drachmam integram sunt capienda, ne dosi boli acedentibus excipientibus iusto plus augeatur. Excipientium vero varia tum requiritur proportio, prout magis minusque spissa fuerint. Sic conferuae hunc in finem vsitatissimae, electuaria, mel, balsama spissa et vnguenta, a scrupulis duobus ad drachmam integram, immo

mo ad Ziſſ ſumi ſolent; Rob, pulpaе, confectiones molles a drachma dimidia ad integram, immo ſcrupulos quatuor; ſyrupi, utpote liquidiores, a ſcrupulo vno ad drachmam dimidiam, vel integram. Scilicet poſita ſiccorum excipendorum quantitate eadem, tanto minor ad ea ſubigenda excipientium quantitas requiritur, quo haec ſunt liquidiora

§. 348.

Si ſicca in minore quantitate ſunt excipienda in bolo, excipientia ſpiſſiora commodius adhibentur, ſi vero in maiori quantitate excipienda ſunt, dilutiora, ne doſis boli iuſto plus augeatur. Si denique ſiccis excipiendis liquida accedant, qualia ſunt

Quantitas excipientium ulterius determinatur.

§ 335. No. 3. haec non vltra guttam vnam, duas, ad ſummum quatuor, pro ſingulis bolis recipiuntur; quamvis in determinanda eorundem quantitate ad eorum gradum fluiditatis in caſu ſingulari ſit reſpiciendum. Tum vero pro rata excipientium mollium proportio eſt minuenda.

§. 349.

Alias quantitate ſiccorum et fluidorum in bolo determinata, excipientium mollium quantitas arbitrio phamacopoei determinanda relinquitur, ſcribendo: q. ſ. Id quod vero tunc non eſt faciendum, ſi eorum doſis efficaci accurata determinatione indiget.

Quantitatem excipientium mollium determinat interdum phamacopoeus.

§. 350.

§. 350.

Liqui-
diora ad-
duntur,
vt bolus
debitam
suam
molti-
tiem ac-
quirat.

Frequentissime vero, si siccorum exci-
piendorum moles paulo maior est, vel si ex-
cipiens primarium spissius et in pariori quan-
titate, circumstantiis id exigentibus, est ad-
hibendum, ita, vt dubium sit, an exinde
boli consistentia, debito mollitiei gradu prae-
dita, emergere queat, alia liquidiora, v. g.
syrupi, in sufficiente quantitate superaddun-
tur, vt sic bolus debitum suae mollitiei gradum
consequatur.

§. 351.

Si bolus
nimis
mollis,
admisce-
ri solent
solida.

Contra, si nimia boli mollities praeuide-
tur, tantum sacchari, pulueris liquiritiae et
similium appropriatorum admiseri solet,
quantum satis est ad debitam bolus consisten-
tiam conciliandam; id quod maxime in bolis
terebinthinaceis puris obtinet.

§. 352.

Quae cir-
ca pin-
guia in
bolo sint
obser-
vanda.

Pingua, vt vnguenta potabilia, balsama,
saccharo aliisque siccis commixtis et intertri-
tis diuidere expedit, vt facilius ingeri et in
ventriculo solui possint.

§. 353.

Quænam
in boli
forma
commo-
dius,
quam

Mercurialia, drastica inprimis, quae in mi-
nori quantitate vsurpantur, acria, viscida, alia-
que qualitibus, vt sapore vel odore molesta,
commodius in bolo composito, quam in pul-
vere propinantur. Illa etenim, quae in minori
quan-

quantitate sunt adhibenda, excipientium idoneorum additamento in maiorem molem, si consideratur, extendi possunt. Haec vero assumtu difficilia et qualitatibus diuersis molesta, itidem commodis excipientibus regi atque inuolui possunt, quod posterius in puluere aequae commode obtineri nequit.

§. 354.

Si boli aliquamdiu sunt conseruandi, eos talia ingredi non posse, quae debitam eorum consistentiam destruunt, per se patet, nec ulteriori eget demonstratione.

§. 355.

Salia alcalica tum fixa, tum volatilia, aliaque ex salibus neutris, cito in deliquium abeunt, hinc, si bolum ingrederentur, qui diu esset conseruandus, debitam eius consistentiam destruerent. Neque minus ea, quae inter se effervescent, vel facile fermentant, decentem boli diu asseruandi consistentiam peruertunt et tollunt. Qua de re salia alcalica, tum fixa, tum volatilia, et salia quaedam ex salibus neutris cito deliquescentia, nec non inter se effervescentia, vel facile fermentantia, bolos, qui aliquamdiu conseruandi sunt, ingredi non debent. Nam talia in bolos aliquamdiu conseruandos non sunt

Quenam
bolum
aliquam-
diu con-
seruan-
dum in-
gredi
non de-
beant.

Salia al-
calia et
facile ef-
ferue-
scentia
bolos ali-
quamdiu
asseruan-
dos in-
gredi
non de-
bent.

reci-

recipienda, quae debitam eorum consistentiam destruunt §. 354.

§. 356.

De ordine, quo ingredientia boli praescribuntur.

Ordo, qui in praescribendis ingredientibus in bolo vsitatus est, ita se habet, primo loco excipiens determinatae quantitatis ponatur, dein excipienda sicca, post liquida, et tandem, si quod accedit, excipiens, cuius quantitas pharmacopoeo relinquitur determinanda.

§. 357.

De mole doseos boli.

Moles doseos boli a drachma vna ad integram et dimidiam, vel duas vsque, extenditur, sed ulterius non est augenda, nisi specificè grauiora recipiantur aegerque in adsumendo non sit difficilis. Neque dosis boli drachma maior sit, si ex leuioribus conflatur. Qua de re, si dosis boli hos transgreditur limites, consultius est, huius doseos molem in plures diuidere doses easque repetita vice exhibere, quam grandiori doseos mole aegro esse molestum. Bolum enim quam maxime commendat paruitas, vt eo facilius deglutiri possit, hinc nimia paruitate hic vix peccatur, licet ne scrupulum quidem superet bolus.

§. 358.

De quantitate generali boli.

Quantitas generalis boli saepissime vnam saltem vel duas, raro plures, quam tres vel quatuor, doses complectitur, nisi interuallis breui-

breuib. sint capiendae. Quum enim a phar-
 macopoeo iam partitae exhibeantur, diutius
 seruatae pro ingredientium indole vel nimis
 deliquescunt, vel siccescunt. Reliqua, quae
 de quantitate generali boli sunt obseruanda,
 repetantur ex dictis § 184. 185. 186. 187. 188.

§. 359.

De subscriptione et signatura formulae De usu
 boli nihil dicam. Applicentur huc dicta in bolo-
 superioribus. Veteres tunc utebantur bolis, rum.
 quando aegri pulueres, vel alias specierum
 medicamentorum qualitates molestas auersa-
 bantur, quo casu et hodie locum habent.
 Quoniam vero ipsorum bolorum ingestionem
 variae difficultates premunt, praescriptio co-
 rum non adeo frequens est, sed ad casus et
 circumstantias speciales referuari debet.

§. 360.

Boli effectum suum non satis promte ex- De virtu-
 hibere solent, quoniam excipientia, quibus te bolo-
 excipienda implicita et inuoluta sunt, tardius rum.
 soluuntur, vel ex his, si vel maxime cito
 soluantur, excipiendi difficulter extrican-
 tur, et eorum efficacia hac ratione retar-
 datur. Hinc etiam, si boli tardior vel
 difficilior in ventriculo metuitur dissolutio,
 iuuat liquorem idoneum calidum post eius
 assumptionem dare, ut promptior eiusdem re-
 solutio promoueatur; id quod maxime circa
 bolos terebinthinaceos et similes est notan-
 dum.

§. 361.

§. 361.

Exempla
formula-
rum bo-
li.

I. Boli emetici.

1.

R̄. conferu. rofar. ℥ij.
pulu. rad. ipecuanh. ℥j.
Syr. de cinnam. q. s.
M. f. bolus.

2.

R̄. conferu. gratiol. 3℥.
pulu. rad. ipecuanh. ℥ss.
Fri emet. gr. II.
Syr. cort. citr. q. s.
M. f. bolus.

II. Boli purgantes et laxantes.

1.

R̄. conf. flor. persic. ℥ij.
pulu. rad. ialapp. ℥j.
diagryd. sulph. gr. IV.
Syr. de cich. c. rhab. q. s.
M. f. bolus.

2.

R̄. conf. fumar. 3℥.
resin. ialapp. gr. IV.
ol. anis. gutt. I — II.
M. f. bolus.

3. R̄.

3.

Rx. conf. rosar. ℥ij.
pulu. rad. ialapp.
merc. dulc. aa ℥ss.
Syr. de cich. c. rhab. q. f.
M. f. bolus.

4.

Rx. conf. flor. persic. 3℥.
resin. ialapp. ppt.
diagryd. sulph. aa gr. VI.
Syr. rosar. solut. q. f.
M. f. bolus.

5.

Rx. cass. extract. ℥j.
rhab. elect. ℥j.
M. f. bolus.

6.

Rx. conf. rosar. ℥j.
rhab. elect. ℥ij.
res. ialapp. ppt. ℥ss.
syr. de cich. c. rhab. q. f.
M. f. boli. No. II.

(Pars II. de form. in spec.) N 7. Rx.

7.

Rx. conf. gratiol. ℥iij.
 merc. dulc. ℥ss.
 res. scammon. gr. IV. siue
 ialapp. gr. III.
 fyr. ros. solut. q. s.
 M. f. bolus.

8.

Rx. terebinth. Vener. 3℥.
 res. ialapp. c. vitell.
 ou. probe trit. gr. VI.
 mercur. dulc. gr. IV.
 fyr. nymph. q. s.
 M. f. bolus.

III. Boli diaphoretici.

1.

Rx. roob. sambuc. —
 antim. diaphor. aa 3j.
 M. f. boli. No. III.

2.

Rx. roob. sambuc. 3iij.
 ceruss. ℥ii 3j.
 reg. ℥ii med. 3℥.
 fyr. de scord. q. s.
 M. f. boli No. VI.

3. Rx.

3.

R. conf. rosar. ʒj.

ʒii diaph.

aethiop. min. aa ʒi.

ʒris ʒii aur.

vlt. ʒrat. gr. V.

M. f. cum syr. violar. q. f.

bolus pro dosi vnica.

IV. Bolus diureticus.

R. roob. iunip. ʒj.

succin. ppt. ʒi.

millep. ppt. ʒss.

Syr. capill. ven. q. f.

M. f. bolus.

V. Boli roborantes et adstringentes.

1.

R. roob. acac. nostr. ʒj.

succ. ppt.

corall. rubr. ppt. aa ʒss.

cōrt. cascar. ʒi.

Syr. granat. q. f.

M. f. boli No. IV.

N 2

2. R.

^{2.}
R̄. conf. balauft. ʒj.
spec. de hyacynth. ʒʒ.
fyr. granat. sue
de cinnam q. f.
M. f. bolus.

^{3.}
R̄. roob. berber. ʒij.
terr. sigillat. ʒj.
croc ʒis adstring. gr. IV.
fyr. myrtill. q. f.
M. f. bolus.

^{4.}
R̄. roob. cornor. ʒʒ.
cort. chin.
cascar.
succ. ppt. aa ʒʒ.
fyr. cydon. q. f.
M. f. bolus.

VI. Boli antispasmodici.

^{1.}
R̄. conf. pap. rhoead. ʒj.
rad. poeon. ʒʒ.
theriac. coel.
extr. castor. aa gr. II.
fyr. pap. alb. q. f.
M. f. boli No. III.

2. R̄.

2.

R̄. elect. diascord. Sylv.
 lumbr. ∇ estr.
 rad. poeon. aa $\mathfrak{z}$ j.
 syr. pap. alb. q. f.
 M. f. bolus.

3.

R̄. conf. flor. anthos $\mathfrak{z}$ j.
 pulu. March. $\mathfrak{z}$ ss.
 laud. opiat. gutt. I—II.
 M. f. boli No. III.

VII. Boli pectorales.

1.

R̄. Syr. capill. ven.
 succ. condens. glycyrrh. aa $\mathfrak{z}$ ss.
 croci gr. III.
 M. f. boli No. II.

2.

R̄. bals. pector. Meibom. $\mathfrak{z}$ ss.
 cond. rad. pimp.
 myrrh. elect. aa $\mathfrak{z}$ j.
 Syr. de erys. Lob. q. f.
 M. f. bolus pro vna dosi.

N 3

VIII. Bo-

VIII. Bolus anthelminticus.

R̄. conf. flor. perf.

violar. aa ʒss.

corallin.

rad. ialapp.

fem. fanton.

merc. dulc. aa ʒss.

M. f. c. syr. viol. q. s.

boli No. III. successiue deglutiendi.

IX. Bolus saliuans.

R̄. conf. fumar. ʒss.

Merc. dulc. gr. VI.

M. f. bolus.



SECTIO